Morbio 27 (32)

PHILIPPVS

Dei gratia Rex Castellæ, Legionis, Aragonum, vtriusq; Siciliæ, Hierusalem, Portugalliæ, Nauarræ, necnon Indiarum etc. Archidux Austriæ, Dux Mediolani, Burgundiæ, et Brabantiæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, et Tirolis etc. Recognoscimus, et notum facimus tenore præsentium vniuersis. Cum ex parte fidelis nobis dilecti IOANNIS BAPTISTÆ LODI expositum nobis fuerit nuper Francisco Ignatio Porrano futuram successionem vnius ex officijs Secretarij Cancellariæ secretæ nri Status, ac Dominij Mediolanen. de Regia nrã munificentia concessam fuisse, supplicatumq; vt ei, quando dictus Franciscus Ignatius Porranus in dicti Secretarij offitium succedat, vel eius obitu, aut alio quouis modo vacet, illud Cancellarij bladorum Magistratus Extraordinarij dicti nri Status, quod ad præsens exercet, conferre dignaremur. Nos benemeritorum precibus libenter annuere de more habentes, futuram successionem præfati officij Cancellarij memorato Ioanni Baptistæ Lodi modo quo infra concedere decreuimus. Tenore igitur præsentium de certa scientia, Regiaq; et Ducali auctoritate nra deliberatè et consultò, ac ex gratia speciali, maturaq; Sacri nri Supremi Consilij accedente deliberatione, futuram successionem prædicti officij Cancellarij bladorum dicti nri Magistratus Extraordinarij Mediolanensis præfato Ioanni Baptistæ Lodi, et dum per subintrationem, aut obitum dicti Porrani, vel alio quouis modo vts. vacauerit, proprietatem ipsius vnà cum salarijs, honoribus, oneribus, præeminentijs, prærogatiuis, commodis, et emolumentis ad dictum officium spectantibus, et per dictum Franciscum Ignatium Porranum, aliosq; prædecessores suos iustè, et debitè perceptis, et percipi solitis, et consuetis, dum de nra mera, et libera voluntate processerit, damus, concedimus, committimus, et fiducialiter commendamus. Mandantes propterea Ill.i Gubernatori nro præsenti, et futuris, Præsidi, et Senatui, Præsidibus, et Magistris vtriusq; Magistratus, Thesaurario nro g.nali, cæterisq; officialibus, et subditis nris Mediolanensis Dominij ad quos spectat et spectabit, vt, quando casus dictæ vacationis euenerit, præfatum Ioannem Baptistam Lodi in possessionem dicti officij Cancellarij bladorum Magistratus Extraordinarij ponant et inducant, positumq; et inductum manuteneant, conseruent, et defendant, eidemq; de salario, præeminentijs, prærogatiuis, commodis, et emolumentis vt s.a ad dictum officium spectantibus, et pertinentibus debitis temporibus respondeant, et responderi faciant per quos deceat. Hasq; nras inuiolabiliter obseruent, et exequantur, obseruariq; et exequi faciant per quoscunq; Sic enim è mente nra procedit. Diplomaq; hoc annotet Don Melchior de Vera et Contreras registri gratiarum à nobis concessarum Secretarius, de quo nisi constiterit, nec illud præsentari executioniue mandari liceat, nec si intra quadrimestre à die huius priuilegij datæ huiusce ratio non sumatur, sortiatur effectum. Declaramusq; præfatum Ioannem Baptistam Lodi, cum casus subintrationis in memoratum Cancellarij bladorum Magistratus nri Extraordinarij officium euenerit, antequam in eius possessionem mittatur, soluturum esse tres quartas partes salarij annui, et emolumentorum dicti officij in duabus solutionibus defalcandosq; de prima sexaginta sex regales, quos hic in nra Sec.ria pro iure Regij sigilli, necnon et alios tercentum et triginta septem regales cum dimidio, quos hic etiam ad computum mediæ annatæ in nra Thesauraria soluit, cautionemq; præstiturum de soluendo intra annum reliquam dimidiam partem mediæ annatæ. Harum testimonio literarum manu nra subscriptarum, et sigilli nri appensione munitarum. Dat. Cæsaraugustæ quinta die Mensis Augusti. Anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio.

Yo el Rey

die 21 Octobris 1645
V.t Arias Præses.

V.t Comes Melendensis R.s

V.t Muniz Cancellarius

V.t Casanez Reg.s

Ad mandatum Regiæ et Catholicæ Maiestatis proprium
Don Inicus Lopes de Zarate

V.t Neyla R.s

V.t Napoles R.s

Tome la Razon a 18 de [illegible] de 1643
Don Melchior de Vera
[illegible]

In privil.[orum] libro 28
fol. 214

195

C 1645. die xx mensis Martij
Intrascriptus Io. Baptista de Laude à Pot.mo Hispaniar.[um] & Rege D.no n.ro electus Cancellarius
Bladorum gene.s Maj.tem Ex.ctum successurus in locum q.m Fran.ci Ignatij Ferrari, cui S.M.tas
munus Secretarij in Cancellaria Secreta contulit, solite debitum, et consuetum
fidelitatis praestitit iuramentum in manibus Mag.ci Supremi Cancellarij Don
Antonij Briceni Ronquilij, de quo rogatus fuit infrascriptus Regius Ducalis
Secretarius

Sgarolus

Morbio 27 (32)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1867625946-13/fragment/page=0002